

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

24
DE CANTICO
ANGELORVM:

GLORIA IN EXCELSIS
Deo, Et in terra pax,
hominibus læ-
ticia &c.



CARMEN FRANCISCI
Raphaelis Hetstetensis.
VVITEBERGÆ,
1557.

ILLVSTRI ET GENERO
fo Domino, Domino Iohanni
Comiti in Mansfelt, Do-
mino suo clemen-
tissimo,

QValiter angelici lusere per aëra coetus,
Quando λόγος casta uirgine natus homo est
Tales nunc etiam soluunt in gaudia uoces,
Cum celebrant homines tempora læta pij.
Aspice quam leni præterfluat agmine Sala,
Orte metalliferis, dux generole, iugis
Aspice quam tenero pulsetur murmure uentus
Et noua læticiæ signa det ipse suæ.
Dum sentit cursus uarios, uocemq; sonoram
Qua puerū celebrant agmina sancta Deum.
Tu quoq; non humiles curas nec inania uoluis
Gaudia, nec bello dedita corda geris.
Fers animum cœlo, fractisq; per aera gyris
Angelicos auida percipis aure sonos.
Edita principibus te principe digna marito
Scit nutu coniunx sacra parare tuo.
O uiuat tecum: Semper uos mutuus ardor
Excitet, & socio foedere corda liget.
Vidi ego quantæ acies illam duxere parentis
Quantus & ipse pater conspiciendus erat.
Æriferos longe pulsabant agmina campos
Quæ tunc auspicijs ducta fuere tuis.
Spectabant

Spectabant ciues & congrua uota sonabant
Spectantis populi pars quota & ipse fui.
Nunc quæ pars quæta sum, si me finis, accipe ciuem
Accipe, pars populi qui cupit esse tui.
Non hæc materia est risum paritura legenti
Non est obscænis fabula tincta iocis.
Sed uox æthereæ cantantis in aere turmæ
Humanum Christus quando subiuit onus.
Est etiam tua uox, tota spectabilis aula
Exarchos populo quam cauis ipse tuo.
Ah generose faue cantanti & fausta precanti
Fœlici cursu sic nouus annus eat.
Sic uideas regnum florens, & sæpè recurrant
Ciuibus hæc eadem tempora læta tuis.

T. Cels : addictis :

Franciscus Raphael

Hetstetensis.

DE CANTICO ANGELORVM,

Gloria in excelsis Deo &c.

EST bonitas immensa Dei, quod sede relicta,
Monstrator uoluit numinis esse sui,
Leniter ipse homines, terreno carcere clausos
Erudiens, quod sit uelle quod esse suum.
Non etenim dubios, ceu Nauita fluctibus errat,
Ignara uult nos quærere mente Deum.
Sed certos de se fieri, signisq; moueri
Plurima quæ primis patribus ante dedit
Sic postquam casta natus de uirgine Christus
Corporis humani triste subiuit onus.
Signa dedit tellus manifesta, & conscius æther,
Aduentu cœpit latior esse Dei.
Viderunt agmen cœleste per aëra ferri,
Pastores septis dum tenuere gregem.
Noctis erat medium, frigusq; coëgerat arua,
Pallentesq; altè Luna regebat equos.
Nescio præterea quid suauiter aura sonabat,
Aures iucundo murmure decipiens,
Attoniti spectant passim uolitantia cœlo
Agmina, quæ tales ore dedere sonos:
Gloria summa Deo, qui firmat in æthere sedem
Sit pax in terris, gaudia uera prijs.

Sic mens ægra canat, si quam premit anxia cura
Aut rapit ad crudam mors inopina necem
Hic feret afflictis hymnus solatia rebus,
Quem canit æterno casta caterua Deo.
Tunc poterit tribui non falso gloria fucō
Cum cœpit nobis notior esse λόγος.
Ille docet mentes uerbo solatia præbens,
Et sociat flatu pectora nostra suo.

Cunq;

Cunq̄ λόγῳ massæ iubeantem uiscera nostræ
Mens nouit, notus fit simul ipse pater.
Hinc alto sese mens infert ardua cœlo,
Atq̄ creatorem sentit adesse Deum.
Qui curet, qui sustentet, qui corda gubernet,
Iudiciūq̄ reos euocet ante suum.
Nec rigidus tantum Rhadamanti sede moretur
Sed miseranda a liqua uiscera parte gerat.
Dum dolet ærumnis hominum, nostriq̄ misertus
Candida iusticiæ detegit arma nouæ
Qua nos induti numero reputamur eodem,
Quo fuerat nondum lapsus habendus Adam.
Accendit simul æternæ noua gaudia uitæ,
Quæ nunquam clauso desinet ire die.

Pax uero terras & culta perambulat arua,
Quandoquidem facta est mitior ira Dei.
Qui, ueluti flammæ consumunt omnia molles
Non sibi conformes perdidit ante reos.
Tristis erat rerum facies, terra aspera spinis,
Cum cultore simul uisa dolere suo est.
Tunc cœlum non sponte sua diffuderat imbres
Maluit & latices imbibere ore suos.
Nescio quos aër gemitus dabat. Omnia lapsi
Et perituri hominis condoluere uicem.
Donec per gnatum placata resederat ira,
Postmodo non timidis exitiosa reis.
Si modo procumbant ad sacram numinis aram,
Atq̄ humiles tendant supplice uoce manus
Non ualet irarum totas effundere habenas,
Quando λόγῳ cernit dedita corda DEVS.

Gaudia uera pijs ueniunt, cum redditur illis.
Promissa adiunctis uita beata bonis.

A v Nanq̄


Nanq; ubi per gnatum, quicquid mortale tenebant
Exuerint, nullis corpora pressa malis.
Non poterunt longæ numerari gaudia uitæ
Qua Deus in cunctis omnia solus erit.
Omnia solus erit: Non hic deforme cadauer
Mortis & inferni rictus hiantis erit
Non hic peccatum diuina audebit in aula,
Squalida per fraudes condere regna malas.
Sed procul in stygia discet regnare palude
Et rodet curis anxia corda nouis.
Interea carmen lætum pia turba sonabit.
Contemrix mortis, iusticiæq; Comes.

At uelati cœlo sacri-uenere ministri
Exarchiq; hymnum precinuerunt pijs.
Sic decet esse chorum Pastores atq; docentes
Et simili uoces ingeminare sono.
Proponant pure diuini oracula uerbi,
Ut tribui possit gloria uera Deo.
Quæ tribui nescit, si mixta uenena salutis
Doctrinæ, inficiant pabula danda pijs.
Nulla uenenatis quærant certamina scriptis
Non acuant calamos ad noua bella leues.
Sanentur moniti, sit mutus omnibus ardor
Iunctaq; concordia pectora pace ligent.
Utq; sit hoc multis studium, lenire studebunt
Vulnera, quæ incautis exitiosa nocent.
Sic ubi conspirant concordia pectora motu
Per gnatum uiuunt dedita sola Deo.
Et simul exoritur radius qui lumine tinctus
Diuino, reddit liberiora metu.
Hoc duce cum gemitus fundit mens anxia tristes
Placatum sese credit habere Deum.
Cor salit, & latebras magis amplo querit hiatu
Hospitiumq; arcto nescit habere loco.
At gestus

At gestus manus internos imitata, uenusto
Consensu, digitos tendit ad astra suos,
Sic sine fine intus noua gaudia concipit hospes
Sic uerum celebrant extera membra Deum.

Nos quoque plaudentes imitemur in aere cætus
Proferat & balbos conscia lingua sonos.
Cur etenim in laudes dubitemus soluere uocem
Qui sumus ad regnum turba uocata nouum.
Cum stupeat cœlum, cum tantus in aere plausus.
Et mundi immensi machina uasta gemat.
Aligeri cœtus uolitantiaque agmina cœlo
Talia cognoscunt non bona nata sibi.
Latantur tamen in socij nos fœdera regni
Adductos, laudes dicere posse Deo.
Vnanimes igitur iactemus ad æthera uoces
Quisq; suo incipiat lætior esse bono,
Nobis parua salus, nobis hic nascitur infans
Tarda quid heu tantus pectora torpor habet?
Nate Dei soboles æterni æterna parentis
Magnus & intactæ uirginitatis honos,
Recurres adhibe curas, & uulnera sana
Accendens lucem mentibus ipse nouam.
Quæ leges cordi dicet, motusq; gubernet
Ut fiant menti congrua uota tuæ
Nec nos à cunis toties totiesq; retractos
Abduci sinito paruule Christe tuis,
Mobilibus cunis te quærimus, aspice flentes
Et nostris saltem commoueare malis.
Sunt lachrymæ faciles, sunt mollia uiscera paruus
Mollia tu certè uiscera paruus habes.
Nam nostris fles sæpè malis. Ah suscipe flentes
Infans infantes suscipe Christe tuos.

F I N I S.



H
C
E



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





DE CANTICO
ANGELORVM:

GLORIA IN EXCELSIS
Deo, Et in terra pax,
hominibus læ-
ticia &c.



CARMEN FRANCISCI
Raphaelis Hetstetensis.
VVITEBERGÆ,

1557.